



# CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM DE SACRA LITURGIA

9 octobris 1968

Res Secretariae, n.34

## DE QUIBUSDAM ADNOTATIONIBUS SUMMI PONTIFICIS AD ORDINEM MISSAE

Post disceptationem factam in Sessione mensis aprilis 1968, Ordo Missae praesentatus est Summo Pontifici cum animadversionibus et propositionibus a "Consilio" factis ad animadversiones quas ipse Summus Pontifex expresserat post Synodum. Voluit autem Summus Pontifex ut Ordo Missae mitteretur Praefectis Congregationum Romanarum necnon Secretariatuum Curiae Romanae ad eorum mentem exquirendam. Respon- siones inde acceptae significatae sunt Summo Pontifici die 24 iulii 1968.

Die tandem 22 septembris idem Summus Pontifex aliquas animadver- siones iterum transmisit "Consilio", haec adnotanda: "Si prega di tener conto, con libero e ponderato giúddizio, di queste osservazioni."

Notandum est quod circa haec puncta "Consilium" non una vice dis- ceptaverat. De singulis ergo proponimus brevem statum quaestionis, ad novum examen facilius et expeditius reddendum.

### 1. De signo crucis initio Missae

Textus Ordinis Missae approbatus a Consilio sic sonabat: "Cum ad altare pervenerit, facta cum ministris debita reverentia, signat se signo crucis nihil dicens, deinde veneratur altare osculo vel alio signo a Conferentia Episcopali statuto, et, pro opportunitate, illud incensat. Postea cum ministris sedem petit."

Uti notum est, Summus Pontifex petierat ut signum crucis fieret cum verbis elata voce prolatis, populo respondente. "Consilium" suam sententiam aliter manifestavit, fulcitam rationibus, quae Summo Pon- tifici expositae sunt verbis ipsius relationis a Relatore de Ordine Missae confectae, post totam disceptationem in peculiari Commissione et in Sessione plenaria. Adhaeserant sententiae 19 Patres, contra- dicentibus 3, abstinentibus 3.

Secretaria proposuerat Summo Pontifici circa hoc punctum ut verba quae signum crucis comitari debuissent saltem in Missis in quibus fieret cantus ad introitum omitti possent, ob rationes a "Consilio" adductas.

Nunc autem Summus Pontifex iterum adnotat: "E' opportuno che la formula 'In nomine Patris' sia detta a voce alta dal sacerdote, con risposta del popolo."

### 2. De invocationibus "Kyrie, eleison" post non unicam et amplam dis- ceptationem Consilium statuerat: "Sequuntur invocationes Kyrie, elei- son... Quae omitti possent, si dicitur Gloria."

Haec propositio statuta ante Synodum Episcoporum, ab "modos" ab aliquibus Patribus in Synodo propositos iterum in discussionem posita